



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De presbytero qui grammaticam ignorabat, & tamen in Trinitate  
baptizabat. xliii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi, liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum tingi? Vniuersi episcopi dixerunt, absit, absit: illicitam esse sancimus rebaptizationem, & satis esse alienum à sincera fide, & à catholica disciplina.

*De illis qui nesciunt qua fide baptizati sunt.*

*Cap. XLII.*

**H**autem de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauerunt se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem, virtutē spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

*Ex decr. Leonis papæ episcopi per Siciliam constitutus missis, ca. 29*

*De presbytero, qui grammaticam ignorabat,*

*& tamen in Trinitate baptizabat.*

*Caput XLIII.*

**V**irgilius & Sedonius religiosi viri apud Bauariorum prouinciam degentes, suis nos literis visunt, per quas intinuerunt, quòd tua reuerenda fraternitas iniungeret eis Christianos denuò baptizare. Quòd audientes, nimis sumus conturbati, & in admirationem quandā incidimus, si haberetur, vt dictum est. Retulerunt quippe, quòd fuerit in eadem prouincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquii infringere linguam diceret: Baptizo te in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro solā ignorantia Romanæ loquutionis infringendo linguam, vt præfati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuò baptizentur: quia quòd tu bene compertum habetis sancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgari debet. Nam sanctissime frater, scita est, vt nobis relatum est, non amplius à te illis prædicetur aliquid huiusmodi, sed vt sancti patres docent & prædicant, tua sanctitas studeat conseruare.

*Ex epist. zacharie papæ ad Bonfacium Mogunt. archiepiscopum.*

Q iij